DE
MORBIS HIBERNORUM;
SPECIATIM VERO
DE
Dyſenteria Hibernica;

EXERCITATIO MEDICA;

Apud Academiam Dublinienſem,

(Kalend. Quintilis, MDCXCVII.)

Pro Gradu Doctoratus in Medicina,

Recitata,

A *JOHANNE JONES*, M. D.

Acceſſerunt ſub calcem nonnulla,

De Dyſenteria Epidemica.

LONDINI:

Impenſis *S. Keble* Bibliopolæ, ad Inſigne *Capitis Turcarum* Imperatoris, in Vico vulgò dicto *Fleet-ſtreet*. *Anno*. MDC XC VIII.

DE

MORBIS HIBERNORUM;

SPECIATIM VERO

DE

Dysenteria Hibernica;

EXERCITATIO MEDICA:

Apud Academiam Dublinensem,

(Kalend. Quintilis, MDCXCVII.)

Pro Gradu Doctoratus in Medicina,

Recitata,

A JOHANNE JONES, M. D.

Accesserunt sub calcem nonnulla,

De Dysenteria Epidemica.

LONDINI:

Impensis S. Keble Bibliopolae, ad Insigne Capitis Tiberiorum Imperatoris, in Vico vulgò dicto Fleet-street. Anno. MDCXCVIII.

Viro, *moribus, Literiſque*
non minus, quam *ſtemmate*
et *Natalibus*, illuſtri;
Omnibuſque Titulis majori;
D^NO, *Johanni Philipps*
De Caſtro Pictonij
In Agro *PEMBROCHIENSI*,
BARONETTO;
Summi Populi Anglicani *Conventûs Senatori honoratiſſimo:*
Hanc *qualem qualem*
Opellam Medicam,
Humillime
Summaque cum obſervantia
Dicat, Dedicatque

Johannes Jones.

AD

Lectorem Anglicanum

Præfatio Monitoria.

AB evolvendo Hoc Libello *ne* Te *avertat* Titulus; *quasi ſolam ſpectet* Hiberniam, *neque* Tibi *uſui eſſe poſſit.* Te *ſanè præmonendum eſſe duxi* Dyſenteriam Hibernicam *a noſtrâ* Anglicanâ *vèl minimùm diſcrepare; cùm èt eâdem* Naturâ, *iiſdem* Signis *atque etiàm* Cauſis (*unam aut alteram ex* evidentibus *ſi dempſeris*) *eâdemque omninò* Medendi *Ratione* Ambæ *pariter gaudeant. Si quid autèm* Tibi *ſivè* Commodi *ſivè* delectamenti *inter legendum attulerit* Hoc opuſculum; *Erit quòd mihi* gratuler *èt ſanè abundè* gratulabor. *Si quid autèm* erratum *eſt*; *Dabis* Tu *mihi viciſſim* veniam, *cùm ſcias quòd perindè ſit* Humanum ignoſcere *atque eſt* Errare.

Vale.

De

De Morbis Hibernicis.

COgitanti Mihi diù, & seriò mecum perpendenti, quodnam potissimùm *Thema* mihi deligendum esset, super quo apud *Vos* (*Academici*) nùnc verba facerem, quod aùt *prodesset Vobis*, aùt Saltèm quoquo modo *placeret*; occurrit tandem, placuitque præ alijs omnibus *Hoc unum*, De *Morbis Hibernicis*, *Argumentum*.

Nam cùm *Gradum Doctoralem* in *Disciplinâ Medicâ*, apud *Academiam Hibernicam* (florentissimam illam quidem, longeque celeberrimam) ambire mecum statuissem; quosnam mihi *Morbos* aùt aptiùs aùt commodiùs, a me jam disceptandos ac discutiendos susciperem, quàm qui eodem, quo ipsa est *Academia*, *Titulo* sunt insigniti?

Haud tamèn adeò sum *Suffenus*, neque eâ sum *fronte* atque *arrogantiâ*, ùt existimem me posse Διατριβὴν super istis *Morbis* consummatam, omnibusque numeris absolutam proferre; utpotè qui sciam & qualis sit mea Tenuitas, & quàm longè, atque etiam quot annos his *Regionibus* abfuerim.

Id muneris eo potiùs animo in me recepi, ut *Medicis hujus Loci*, in *re Medicâ* maximè versatis, *Viam*, adhuc usque (quantum scio) *inculcatam*, quasi digito præmonstrarem, Eosque ad *Luubrationes suas* super *istis Morbis* in publicum edendas quadantenùs incitarem.

Quâ quidèm in re, proùt suæ ipsorum *Famæ* & *Existimationi*, ità & *Humanæ Gentis Saluti Compendioque* magnoperè consulerent. Quippè, si ad *Dysenteriæ* (v. gr.) *Naturam* ac *Genium* accuratè & luculentèr enucleandum *Animum suum* accommodarent, & *Canones* nonnullos *Therapeuticos* indè desumptos, longoque *usu* sibi Comprobatos, ùt & *Linguâ Vulgari* conscriptos, publici juris facerent; Dii boni! quot illi *Mortales* a tàm dirâ *Peste* vèl immunes omninò præstarent, vèl eâ demùm correptos *Libitinæ* faucibus Eriperent?

Nàm, ùt taceam paucos esse *Alienigenas*, qui *hùc Loci* appellunt, quos iste *Morbus* non modo non Corripit, Sèd & miserandum in modum excruciat; Quotusquisque est *Vestrûm* qui non meminit, adeoque qui non dolet lugetque feralem illam *Stragem*, quam nuperrimis

rimis his annis, in *Exercitu Anglicano Dyſenteria* illa *Caſtrenſis* ediderat! uſque quidèm eò, ut *Milites* invictiſſimos, ac jàm tùm triumphantes plùs quàm *decimaret*, longè pluribus *Morbo*, quàm *hoſtili Gladio* interemptis.

Verùm his obitèr, & quaſi *ἐν παρόδῳ* dictis, ad *rem ipſam* propiùs accedam. Quod tamèn antè quam faciam, præmonitos *Vos* eſſe velim, me morbos iſtos non eo ſenſu *Hibernicos* appellare, ac ſi eſſent *Populo Hiberno* planè *Endemij* ac *Gentilitij*, (nondùm enim compertum eſt *hujus Inſulæ Indigenas*, atque inibi a primis uſque incunabúlis enutritos, in hos *Morbos* magìs eſſe proclives quàm reliqui, quotquot uſpiam ſunt Terrarum *Mortales*; sèd quòd plerique *Advenæ*, ſtatim atque *eò* appulerint, & acritèr ab ijs impeti, & gravitèr plecti ſoleant.

His præmiſſis, Duo omninò mihi videntur eſſe *Morbi* qui ſenſu jàm dicto dici poſſunt *Hibernici*, *Dyſenteria* ſc. & *Catarrhus*. De *Catarrho* nihil quicquam impræſentiarùm a me diſſerendum eſſe apud me Conſtitui; cùm iſte *Morbus* neque adeò frequentèr his Locis incidat, & parùm ſecum *Periculi* apportet. Cui & id quoque accedit, quòd hoc *Penſum* mihi dudum præreptum fuiſſe videam, cùm ab *Alijs*, tùm ab *ipſo* maximè *Lowero*, qui de iſtoc *Morbo Tractatulum* planè *palmarium* exaravit, omniumque manibus terendum *Poſteris* reliquit. Quapropter de *Dyſenteriâ* tantummodò, quæ ſola apud *Vulgus Morbus* audit *Hibernicus*, verba jam facturus, *Hoc agam*.

Dyſenteria, *Grammatico*, & quidem laxiori *ſenſu*, omnimodam *Inteſtinorum Invalitudinem* denotat: verùm apud *Medicos Alvi* tantummodò *Profluvium*, & *Cruentum* illud, & *torminoſum*, *Dyſenteria* appellatur: *Morbus* ſanè, ſi quis alius, pergravis, & vèl inter *Affectus truculentiores* haùd immeritò habendus! utpotè qui, cùm *Miſellos* ſe loborantes vèl atrociſſimè torqueat, haùd tamen citò *jugulat*, ita ſiquidem *feriens*, ut ſentiant ſe *Mori*. Quod ſanè Vobis abundè conſtabit, ſi modò *Hiſtoriam Typumque* hujus *Morbi vobis* ob oculos poſuero. *Hiſtoria* autèm hoc ferè modo ſe habet.

Primum *Symptomatum Agmen* ducunt *Horror Rigorque*, quibus per horas aliquot graviter concuſſus *Æger*, toto deinde Corpore febrilitèr incaleſcit: Mox *Tormina*, & quidèm graviſſima, ſubſequuntur; deindè *Cruor* manat, iſque modò (ùt *Cornelij Celſi* Verba repetam) cum *Stercore* ſemper liquido, modo cum quibuſdam quaſi *Mucoſis* excernitur; interdùm quædam quaſi *Carnoſa* deſcenduut. *Exulceratis* tandèm *Inteſtinis*, frequens accedit diſidendi neceſſitas, *Dolorque* in *Ano* eſt; cum eodem *Dolore* Exiguum aliquod emittitur, atque eo quidèm *Tormina* intenduntur, eaque poſt

tempus

tempus aliquod levantur, exiguaque *Requies* eſt. Per totum autèm *Morbi* decurſum, *Febre* quâdam *lentâ* laborat *Æger*, albeſcit ei *Lingua*, *Sitis* importuna eſt, proſternitur *Appetitus*, palleſcit *Facies*, langueſcunt *Vires*; donèc tandèm, & *Macie* abſumptus, & *Doloribus* confectus, atque (ut verbo dicam) ad ultimam penè *Miſeriarum* lineam redactus, diù quaſi in *Bivio* hærere videatur, neſcius ipſe nùm *Salutem* recuperaverit, an verò cum *Morte* commutaverit Vitam.

Hiſtoriam atque *Symptomata* hujus *Morbi* antè quàm finiam, manumque de *Tabulâ* deducam, notare libet quòd nonnulli, quamprimùm ex eo convaleſcere cœperint, in deteriorem, hoc eſt, *Hydropem* incidunt. Quippè, ex diuturno *Sanguinis* in *Inteſtina Effluxu*, uſque eò depravatur *Maſſa* ejus ac depauperatur, ut jam penè tota *Vappeſcens*, *Seroſum Laticem* intra Compagem ſuam retinere nequeat; quìn, aut *Vaſis Lymphaticis* diſruptis, in *Abdomen* irruat; aut *Arteriolarum Oſculis* reſeratis, in *Crura Pedeſque* depluat, & ſingula in *Molem* ingentem, viſuque fædam, diſtendat.

Sunt & alia quædam *Mala*, quæ huic Morbo nonnunquàm tanquàm *Symptomata*, Succreſcunt; quæ tamèn non tàm ipſi *Morbo*, quàm *Medicamentis* in *Medelam* ejus vulgò, at perperam, exhibitis *Originem* ſuam debent, *Phthiſis* ſc. & *Oris Aphthæ*. Atque Hoc fit, cùm a *Remedio* quocunque *Aſtringente Arteriarum Meſaraicarum Oſcula* uſque adeo obturata fuerint, ut *Cruor*, in *Inteſtina* antè amandari ſolitus, intra *Vaſa* jàm ſua velut incarceratur: undè neceſſe habet, ùt, febrilitèr exæſtuans, & in molem ampliorem exurgens, *Succos* ſuos *acriores* modo in *Tunicam Os* inveſtientem deponat, ibique *Ulcuſcula* illa, quæ Vocantur *Aphthæ*, progignat, modò in ipſam *Pulmonum* Subſtantiam propellat, *Tuberculiſque* iſtis producendis anſam præbeat, ex quibus diſruptis ea fiunt *Ulcera*, quæ *Phthiſeos*, haùd dubiè, ipſiſſimæ ſunt *Cauſæ*. Verùm hoc ultimo *Malo* ij maximè tentari ſolent, qui, *Parentibus tabidis* nati, hæreditario quòdam jure id Sibi vendicant. Ambo hæc *Symptomata*, ùt & *Singultus* (qui tamèn *Dyſenterijs Epidemicis* plerumque ſupervenire ſolet) *Mortem* eſſe in propinquo ſæpenumero denunciant.

Hactenùs Vobis Dyſenteriæ *Typum*, & quaſi *Vultum* (torvum illum ſatis, & horrendum!) veluti in *Speculo* repræſentavi: proximo in loco in *Cauſas* ejus inquirendum eſt, quæ ſunt tres, *Conjuncta* ſc. *Procatarctica*, atque *Evidens*.

Quod ad *Conjunctam* attinet, quæ *eſt* & ipſa ejus *Ratio formalis*, ea ex *Hiſtoriâ Morbi* jam nunc ſupra enarratâ omnino petenda eſt: Undè videtur eſſe *Febris* quædam *ſui generis*, in quâ *Sanguis*, ſivè *Fermento*, ſivè *Veneno* quodam inquinatus, adeoque plus debito intumeſcens, & in rapidiorem *Gyrum* circumactus, & *Recremen-*

ta

ta sua, & Se simùl unà, ex *Arteriarum Osculis* in *Intestina* deponit; in quibus paulò pòst (eroso sc. quo illinuntur *Muco*) *Ulcera* progignuntur: ex quibus *Humores* perquàm *acres* jugitèr effluentes, atque *Fibras* eorum *Nerveas* vellicantes, nòn *Dolores* modò atrocissimos, sèd & cæterorum non pauca suprà memoratorum *Symptomatum* accersunt.

Verùm, cùm hæc *Descriptio* quædam Morbi, ex *Phenomenis* ejus maximè conspicuis deprompta, potiùs dicenda sit, quàm vera *Definitio*; *Ea* quidem eò usquè differenda est, donec *Essentia* hujus *Morbi* Nobis innotuerit, quæ tamen adhùc (sicùt & Cæterorum omnium *Morborum*) *in profundo* latet, & usque, haùd dubiè, latebit.

Causa Dysenteriæ *Procatarctica* nihil aliud esse mihi videtur quàm *Προσηγορία* illa, & *Temperamenti Proprietas* quædam, quâ *Nonnulli* ad *Hunc Morbum* procliviores fiunt, quàm sint *Alij*. Hìnc utique fit quòd ex *Duobus* (v. gr.) *Alienigenis Hanc Insulam* petentibus, pariquè omninò *Vivendi Ratione* utentibus; *Hic* totam inibi *Ætatem* ab Hoc *Morbo* prorsùs immunem agat; *Ille* verò, quamprimùm *Hùc* pedem intulerit, statìm *Eo* corripiatur: *Utriusque* siquidèm diversâ *Valetudinis conditione* à variâ utriusque *Temperamenti* ratione pendente. Nam cùm in *illo* morbi *Semina*, utcunque antè latentia, a quâvis *Causâ Evidenti*, sivè sit *Alimentum*, sivè Aër, sivè quodcunque aliud *Extraneum*, facilè in actum reducantur, & in perfectam tandèm Morbi *Speciem* efformentur; in *Altero*, cùm desit omnino *Morbi Fomes*, Causæ omnes *Externæ*, velùt *bruta Fulmina*, nihil prorsùs Operantur, adeoque neque *Ille*, nè in *Hunc Morbum* incidat, quicquam periclitatur.

Temperies autèm illa *peculiaris* quæ ad *Dysenteriam* viam sternit, àc prædisponit (meâ quidèm sententiâ) ejusmodi est, in quâ, *Plethorâ* redundante, & præpollente *Bile*, *Pori Cutanei*, sivè ex ipsâ Origine, sivè ex Causâ aliquâ externâ, plus æquo constringuntur. Nam in *Febribus* plerisque, quæ in *Corpora* & *Plena*, & *Biliosa* simul, incidunt, (*Bilis* enim præ aliis quibuscunque *Humoribus* ad *Turgescendum* apta nata est) *Sanguis* supra modum intumescens, intra *Vasa* sua contineri nequit, si modò *Fuligininibus* suis, *inter Circulandum*, per *Poros Cutaneos* denegetur *Exitus*. Quo siquidèm in Casu, disruptis quibuscunque *Repagulis*, modò in *Nares*, modò in *Cerebrum*, modò in *Pectus*, modò denique (quod & sit frequentius, & ad rem nostram magìs pertinet) in *Intestina* erumpit. Quid autèm sit Causæ quòd in *Hoc Morbo* adeò solennitèr & constantèr *ijsdem* sempèr *Foribus* se propripiat *Sanguis*, posthabitis cæteris, quas suprà nominavimus; cùm sit *Nodus* solutu perquàm difficilis, malim Ego meam eâ de re *Ignorantiam* ingenuè fateri, quàm *Conjecturis* (ùt fit) nescio quibus, *dubijs* sàltem, nedùm *Nugatorijs*, & *Otio meo*, & *Vestris* simul *Auribus* abuti. Quapropter, prætermisso

La-

Labore tàm inepto, ad *Tertiam* ultimámquè *Dyſenteriæ Cauſam, Evidentem* ſc. procedo, mequè accingo.

Cauſa Dyſenteriæ Evidens (quæ & *Remota*, & *Antecedens* vocatur) ea dicenda eſt, quæ *Procatarcticam*, antè Sopitam, Quaſi *Exuſcitat*, & ad *Vires* ſuas exerendas *inſtimulat*; undè tandèm *Hic Morbus*, tanquàm ex *Ovo Fœtus*, integrè conſummatur.

Cùm autèm *Hæc* ſit illa ipſa *Cauſa*, propter quam *Dyſenteria* maximè, & quidèm unicè, *Hibernica* denominanda eſt, (*Coujuncta* enim, ſicùt & *Procatarctica*, nullibi nòn Terrarum una eademque eſt,) haùd abs re fuerit in *Naturam* Ejus aliquantò accuratiùs inquirere, pauloque fuſiùs ſuper eâ diſſerere.

Hâc autèm in re Explicandâ (ùt & Methodicè Hæc noſtra *Diſſertatio* procedat, & (ſi qui ſunt apnd *vos*) *Tironum* uſui inſerviat ;) Eiuſmodi *Rationi* Nobis inſiſtendum eſſe videtur ; uti ſc. primo Oſtendamus quæ ſolent eſſe Cauſæ *Dyſenteriæ Evidentes* ; deindè demonſtremus quâ ratione, & quo potiſſimùm nomine *Hibernia*, præ alijs *Regionibus*, ad *Cauſas iſtas*, aùt ſaltèm earum *Nonnullas* producendas Conferat.

Cùm verò & longum eſſet, neque multùm ad *Propoſitum* noſtrum pertineret *Univerſas Has Cauſas* percurrere ; *præcipuas* tantùm *principeſque* earum, ùt & maximè *Vulgares*, perſtringemus ; prætermiſſis ultrò Compluribus, ab *Authoribus* vulgò recenſitis, utpotè quæ rariùs *Obſervationi Medicæ* occurrunt, adeoque ab ijs in *Pompam* magìs, quàm *Uſum*, oſtentari ſolent.

Inter *Evidentes* autèm *Dyſenteriæ Cauſas*, vèl primas ſibi vendicat immodicus *Fructuum immaturorum Eſus* ; quod ferè fit *Autumno*, quo tempore *Pueri*, ejuſmodi *Fructibus* ſeſe ſupra modum ingurgitantes, in *Hunc Morbum* Catervatìm incidunt, atque ex *Eo* uſque adeò pereunt, ut in *Schedulâ ferali* eâ tempeſtate *Londini* hebdomatìm editâ, haùd exiguum *Defunctorum* numerum complere ſoleant. Atque *Hoc* eò fit, quòd ex tali *Fructuum Precocium* Ingluvie tanta *Humorum* crudorum Copia in *Corpore* coacervatur, ùt, neque a *Ventriculo* ritè Concoqui, neque a *Sanguine* deinceps aſſimilari poſſint : unde *Turba* illa *febrilis* oritur, quâ *Sanguis Humores* iſtos *ex ſinu* ſuo amandare nititur : quod cùm per *Poros Cutaneos*, eâ Anni tempeſtate denſiùs conſtrictos, efficere nequeat ; intrò Eos, verſus *Inteſtina*, magno impetu deturbat, atque ibi *ipſis*, perindè ac *Sibi*, *Exitum* quærit, facitque.

Hùc etiam Spectat, atque ejuſdem eſt farinæ, *Muſti*, vèl aliûs cujuſvis *Liquoris Spirituoſi*, recentis ſc. nèc dùm a *Fæcibus* ſuis depurati, liberior *Potatio*. Atque Hoc quotidiè in noſtrâ Angliâ Compluribus incautis accidit, qui, ſivè *Animi*, ſivè *Negotij* Causâ, per *Argum Herefordienſem*, ubi magna eſt vis *Pomacei*, itinerantur. Quippè ejus *Vini*, nondùm defæcati, ſivè *Novitate*, ſivè *dulcedine* capti dùm id in ſe nimiùm ingurgitant, in *Hunc Morbum* ſæpè ſæpiùs incidunt.

Ex reliquis *Dyſenteriæ Cauſis Evidentibus* (ùt hanc rem tandèm in Compendium redigam) *Una* ſolet eſſe inſueta *Carnium*, maximè *præpinguium*, & *Locis Paluſtribus* depaſtarum *Ingluvies*: *Altera* eſt Aër *craſſus* & *paludoſus*, atque inſimùl *Calidus*.

Atque ambæ Hæ *Cauſæ noviſſimæ* propriè quidèm ad *Hiberniam* pertinent. *Eamque* ſpeciatim reſpiciunt; cùm nemo (uti mihi videtur,) ſit *Advena*, qui Hoc Morbo tentatur, quin *Invaletudinem* ſuam *Hi*s potiſſimùm *Cauſis* acceptam referat. Quâ autèm ratione, & quo pacto *id* fiat, proximè, & ſanè quàm potero ſummatim, exponam. Et primo quidem de Aëre.

Tædio autèm eſſet, ut & ſupervacaneum, de *Naturâ* Aëris, ejuſque *Phænomenis* hìc loci plura proferre, coram tàm erudito *Philoſophorum* Grege, & in conſummatiſſimis *nobiliſſimi Boylæi Libris*, eâ de *Re* conſcriptis, haùd dubiè aſſiduè verſato. Id unum tantummodò (quoniam ad *Hanc Rem* quæ nobis nunc eſt præ manibus, explicandam plurimùm confert) notare libet; Hunc ſc. omnem, qui *Terrarum Orbem* quaquaversùs circumſcribit, Aërem (quique idpropter *Atmoſphæra* vocatur) ex *Effluvijs* tantum *terr-aqueis*, vi *Solis* in altum Sublatis, conſtare; adeoque de *Naturâ* atque *Indole* cujuſque *Loci*, ex quo exhalari ſolet, omninò participare. Ex quo neceſſe ſit, ùt Aër, qui jugitèr in *Pulmones* noſtros inſpiratur, & cum ipſo *Sanguine Spiritibuſque* noſtris intimè Commiſcetur, quamplurimùm ad *Valetudinem humanam*, cùm *proſperam*, tùm *adverſam*, conducat. Atque Hoc quidèm (nè plura *Exempla*, quæ penè ſunt infinita, hùc proferam) in nonnullis *Angliæ Regionibus*, paululo intervallo ab invicem diſtantibus, uſque adeò conſtat, ùt *Quartanâ Febre* laborantibus, quæ in *paluſtribus* & depreſſis *Cantij* Locis adeò inter *Advenas* increbreſcit, omnemque penè vim Medicamentorum eludit, in aliam, ejuſdem *Regionis* Partem, *Campeſtrem* puta & *apricam*, vel pauliſper *divertiſſe*, ibique paulùm *reſpirâſſe*, certiſſimi penè ſit inſtar *Remedij*.

Sin vero *Cantij* ſpiſſior humidiorque Aër ad *Quartanas* progignendas tantum poſſit; quid ni & Aër *Hibernicus* (&, propter *Situm Occidentalem*, *Calidus*; &, propter ingentium *Paludum* multitudinem, *Craſſus*; &, propter *Nemorum* denſorum Copiam, *Umbroſus*) ad progignendas atque fovendas in *Exterorum* Corporibus *Dyſenterias* æquè conferat?

Id autèm ipſum efficit, non modò *Denſitate* ſuâ eorum *Poros* ſuffarcinando, quo minùs *Sanguinis Halitus fervidiores* ea ſibi Exitum inveniant; ſèd & aliena quædam atque heterogenea *Fermenta*, *Pulmonum* ope, *Sanguini* impertiendo; ad *quæ* foràs eliminanda accenſâ *Febre*, cùm *Natura* alias ea non poterit, per *Arterias Inteſtinales*, & cum *ipſis* unà Sanguinem exterminat.

Ut dicam tandem quod ſentio; Aër, qui & *Radijs Solis*, per *Nebulas* Continuò tranſmiſſis, nimiùm *incaleſcit*, quique ſimul *Vaporibus*,

ribus, ex ſtagnantibus putridiſque *Paludibus* exhalatis, plurimùm *humeſcit*, præ alio quocunque Aëre, humani Corporis *Humores* Corrumpit ſimùl, & labefactat. Nàm, ſicùt *Caliditas* Aëris, Partes Corporis *attennando*, faciliorem *Vaporibus* in *Sanguinem* introitum conciliat; ità *Humiditas* ejus *Humores* adeò in immenſum auget ùt nòn modò *Spiritus* indè opprimantur, sèd & *Sanguis* ipſe, (cum & ob *Febrem* turgeſcat, & ob *Plethoram* intra *Vaſa* ſua contineri nequeat) neceſſe habeat *Exitum* ſibi, quaquà datur Porta, quærere, eàque erumpere. Atque *Hinc* illæ Lachrymæ! Hinc Dyſenteria!

Quod autèm de hujuſmodi Aëris *Incommodis* a Me jàm dictum eſt, Nihil in ſe *Novitatis* habet, cùm multis retrò *Seculis* ab *Antiquitate* ipsâ uſque adeò ſit animadverſum, ùt, in tanti *Mali Remedium*, nihil nòn *Laboris* & *Sumptûs* impenderit.

Sìc a *Plinio* jàm olìm Memoriæ proditum eſt, quòd in Campis *Theſſalicis*, qui *Philippi Urbem* circumambiunt, cùm *Incolæ*, effoſſis ſummâ & *Operâ* & *Impenſis Aquæductibus*, *Aquas* inibì ſtagnantes, aliò derivaſſent, àc divertiſſent, adeoque & *Solum* ipſum exiccaſſent; tanta exindè inſecuta eſt & Aëris, & *Tempeſtatum*, atque ipſius *Cœli Mutatio*; ùt tota illa *Regio*, ex perquàm *inſalubri*, *Saluberrima* ſit facta.

Atque, *Horum Exemplo*, nuperrimis his Annis, haùd diſpari *Incolarum* Compendio, Hoc idem factum eſt, tàm in *Inſulis Americanis* ad *Coronam Angliæ* pertinentibus, quàm in nonnullis paludoſis ipſius *Angliæ Comitatibus*: Satiſquè Compertum eſt, a quo in hâc noſtrâ *Hibernià* tot *Nemora* in uſum *Navium* cæſa, atque tot *Paludes* in *Agriculturæ* commodum exiccatæ fuerint; Aërem *Hibernicum* uſque adeò in Salubriorem Statum fuiſſe perductum; ùt neque *Pluvijs Nebuliſque*, neque *Dyſenterijs*, aliiſquè *Morbis* producendis, æquè *jam* ſit atque *olim* propenſus.

Atque de Aëre, quatenus *Dyſenteriæ Hibernicæ Cauſa* eſt, *Hæc* hactenùs. De *alterâ* jàm *Cauſâ Evidenti*, quam ad *Hiberniam* quoque *propriè* ſpectare diximus, inuſuſitâ ſc. *Carnium prapinguium*, & *Locis paluſtribus* depaſtarum *Ingluvie*, proximè diſſerendum eſt.

Quæ quidèm *Cauſa*, licèt haùd ſit adeò *Univerſalis* atque *Altera*, neque *Omnes* omnino *Advenas*, cujuſcunque ſint ſortis, æquè attingat; *ei* tamèn plurimùm ancillatur, auxiliaturque; uſque eo, ùt in progignendis *Dyſenterijs Hibernicis* apud *Exterorum Vulgus*, haùd exigui ſit Momenti. *Pythagorica* ſiquidèm *Vicinarum Gentium Plebecula*, quæ, *Sedibus* ſuis aſperioribus relictis, in *Hiberniam* ſeſe quotidiè confert, quæque *Domi* ſolis *Lacticinijs* victitans, vix unquàm *Carnes* degulaverit; nil mirum (inquam) ſi talis *Plebecula*, quam primùm ad *Hanc Inſulam* appulerit, (feraciſſimam illam, omnium que Rerum *Cornucopiâ* affluentem) ſtatìm ſeſe *Carnibus* ingurgitet; utpotè quæ ſint (ùt olìm notavit Euſtathius) *Palato*, quàm quævis alia Alimenta, *gratiores*; & *hic Loci*, propter ſummam *Pecudum*

 abundantiam,

abundantiam, viliori *Pretio* emantur. Verumenimverò, cùm nullâ non Re perniciosum sit *Præter Casam fugere*, & ad extrema derepentè transire; magno sanè suo id facit *Malo* incautum *Vulgus*, dumque suæ indulget *Gulæ*, *Saluti* haùd parùm officit; ùt scias sc. ubicunque *Dulce* est, ibi & *Acidum* inveniri.

Hoc enim pacto non modò ingens *Humorum* saburra, in futurum *Dysenteriæ* proventum, congeritur; sed & nova indè & inusitata *Fermenta*, cùm *Ventriculo*, tùm cæteris *Visceribus*, impinguntur: quæ quidèm *Fermenta*, partìm a præterlabente *Sanguine* in se susceptа, partìm cum *Chyloso* simùl *Latice* in ipsum deposita, cùm *alienâ* prorsùs sint a *Sanguine Naturâ*, adeoque ab ipso in Substantiam suam assimilari nequeant; *Luctam* illam, & *Tumultum febrilem* excitant, quo *Natura* tàm *inimicos Hospites* ex *Gremio* suo amoliri nititur, ac tandem in *Intestina* omninò amolitur.

Sin verò, in hujus Rei *Mantissam*, *Id* qnoque accesserit, quòd *Pecudes*, quarum *Carnes* dicto jàm modo a *Vulgo Exotico* incautè devorantur, *Locis aquosioribus* & *Paludosis* depascantur, (quod ferè fit in *Hiberniâ*) plurimùm indè *Hoc Malum* adaugetur: quod & olim (in suâ *Animalium Historiâ*) observavit *Aristoteles*, & Cuilibet hanc Rem vèl minimùm perpendenti de facili constabit; ùt *Veritas* tàm luculenta pluribus, in sui Confirmationem, *Verbis* haùd opus habeat.

Atque de *Causis Dysenteriæ Evidentibus*, dequè ijs speciatim quæ proprie spectant ad *Hiberniam*, Hæc dicta sunto.

Quod ad hujus Morbi *Prognosin* attinet, (ùt hanc quoque rem quadantenùs attingam) frustrà omninò hic esset ea denuo repetere quæ de *Hydrope*, de *Aphthis*, de *Phthisi*, de *Singultu*, suprà memoravimus: Quibus tamen *Hoc Unum* annectendum est, quòd sc. *Dysenteria* (modò non *Epidemicè* grassetur, tùnc enim æquè penè est, atque ipsa *Pestis*, *lethalis*) si *Genio*, *Arbitrioque* suo relinquatur, neque *Astringentibus Narcoticisvè* imperitè atque intempestivè coerceatur; utcunque & in longum protrahi, & summis *Doloribus* stipari soleat; ad postremum tamèn in *Salutem* ut plurimùm terminatur.

Hucusque de *Naturâ* ùt & *Signis*, *Causisque Dysenteriæ Hibernicæ* disseruimus. Quod si verò parùm referat quid *facit Morbum*, sèd quid *tollat*; Hæc omnia incassum, nì quædam insuper de *Curatione* ejus subjungantur.

Cùm autèm *Curatio* cujuslibet *Morbi* duabus omninò *Intentionibus* innitatur; unâ, quâ præcavetur nè *fiat*; alterâ, quâ, jam *factus*, *tollatur*, (quarum *prima Prophylactica*, *altera Therapeutica* nuncupatur) De *utraque Dysenteriam Hibernicam* Curandi & *Ratione*, & *Specie*, pancula jàm Verba faciam.

Dy-

Dyſenteria Hibernica Curatio Prophylactica duabus hiſce *Indicationibus* conſtat. Prima eſt, ùt *Pori Cutanei* quantùm maximè patuli ſerventur; quò, ſivè per *Diaphoreſin*, ſivè per inſenſibilem *Tranſpirationem*, *Halitus* Sanguinis *fuliginoſi* èa foràs exeant; neque neceſſe habeant, *foribus* iſtis præcluſis, *intrò* ſeſe versùs *Inteſtina* recipere, ibidemque *Exitum* ſibi quærere.

Huic *Indicationi* abundè ſatisfaciet, quiſquis ſeſe *Veſtibus*, adverſus externa *Frigora*, paulò præter ſolitum muniverit; qui *Veſpertinam*, ùt & *Nocturnam Auram* ſedulò vitaverit; quique ad *Labores* atque *Exercitia* impigrum ſe præſtiterit.

Indicatio *altera prophylactica* eſt, ùt ſummâ religione fugiantur quæcunque Corporis *Habitum* ad *Plethoram* diſponunt, quæque *Bili* Progignendæ anſam præbent, ùt & ea omnia quæ nova & inuſitata *Fermenta Sanguini*, *Viſceribuſque* impingunt. Hoc ſiquidèm pacto, cùm neque *Sanguis*, ob *Plenitudinem*, nimiùm *Vaſa* ſua diſtendat; neque, propter *Bilem*, *turgeſcat*; neque propter alienas adverſaſque ſibi *Particulas* in *Tumultus febriles* efferetur; Nulla nòn *Dyſenteriam* producendi *Occaſio* præciditur, atque præcavetur.

Hanc *Indicationem* (nè ſim prolixior) abundè ſatis adimplebit, quiſquis ille ſit *Advena*, qui, primo ſuo in hanc *Inſulam Appulſu*, temperanter vitam egerit, ſequè *Victu* tenuiori parcoquè aluerit; nèc nòn *Alimentis Hibernicis* nòn niſi paulatim aſſueverit.

Sin verò (*His* vèl *omiſſis*, vèl nòn *Obſtantibus*) *Plethora* uſque adeò ingruerit, ut metus ſit nè indè *Dyſenteria* enaſcatur; danda eſt opera ut tollatur quamprimùm: quod quidèm facile eſt factu, ſi modò tantum *Sanguinis*, incisâ *Venâ*, emittatur, quantum ſufficerit ad *Maſſam* ejus uſque adeò deplendam, ùt *Vitale* illud *Flumen* intra *Alveos* ſuos *levi Curſu* fluat, neque neceſſe habeat in quoſcunque *Aggeres* ſibi obvios *arietare*, eoſque perrumpere.

Ad iſtam quoque *Plethoram* minuendam haud minùs expedit, ùt *Ventriculus*, *primaque Via* aliquotiès eluantur; ùt *Bilis*, alijque *Humores* inibi ſtabulantes foràs expurgentur.

Atque de *præſervatoriâ Dyſenteriam Hibernicam Curandi Methodo* Hæc; impræſentiarùm ſuffecerint. Verumenimverò *Medici* eſt nòn modo quâ ratione *præcavendi* ſunt *Morbi* demonſtrare; sèd & *Morbis ipſis*, ſi quem invaſerint, quantum poterit, *Mederi*.

Sic, qui ex *Pharo*, accenſis *Facibus*, præternavigantem *Navem* de juxtà latentibus *Scopulis* evitandis præmonuerit; licèt rem perhumanam fecerit; toto tamèn *Humanitatis Officio* haùd fungetur, niſi & eandem *Navem vi Turbinis* ijſdem *Scopulis* illiſam, (quantum in ſe eſt) inſtanti *Naufragij* periculo eripuerit.

Procedamus itaque, bonis avibus, ad *Curationem Dyſenteriæ Hibernicæ Therapeuticam*; quæ quidem tres *Indicationes* Complectitur. *Prima* eſt, ùt *Humorum Turgeſcentia*, quâ ſc. ὀχῶν, in *Inteſti-*

na

na irrumpunt, compescatur: *Secunda* est, ùt ipse *Sanguis* èa tendens aliò revellatur, ac divertatur: *Tertia*, ùt *Humores morbifici*, tàm in *Sanguine*, quàm in *primis Vijs* redundantes, foràs eliminentur.

Prima, ùt & *Secunda Intentio*, *Phlebotomiâ*; Ultima *Catharsi* (utrâque verò sæpiùs, si opus sit, repetendâ) omnino absolvitur.

Atque *Hæc* tàm Simplex brevisque *Medendi Ratio*, si ritè àc prudenter administretur, usque adeò in *Curandis Dysenterijs* (modò ad eam ferendam *vires* suppetant) utramque facit paginam, ùt si quis His plura, (nisi ad leniendam *Symptomatum* atrocitatem) addiderit, ausim, longo id *usu* edoctus, affirmare, *illum* aut *frustrà*, aùt *perperàm id* facturum.

Si quis autèm sit, qui hìc reclamaverit, atque adeò a me qnæsiverit, quo demùm pacto tractandus sit *Æger Dysentericus* in *extremo Morbi stadio*, cùm sc. eò Imbecillitatis pervenerit, ut neque *Catharsin*, neque *Venæsectionem* ferre possit: Huic sanè audactèr *id* regeram; Si modò *Æger* ad *Has* incitas redigatur, Omnia *Natura* potiùs esse relinquenda, quàm *Morbum* sivè *Stypticis*, sivè *Narcoticis*, alijsvè id genus *Medicamentis*, impugnandum: cùm longè satiùs sit *Eum* non *Curare*, quàm *Occidere*. Quò enim spectat, vèl in eo *ultimo* hujus Morbi *Stadio*, *Narcoticorum*, atque *Astringentium* Usus! nisi ut eò *Hostis* teterrimus vel in ipsis *Sanguinis* amplexibus, vi quâdam præposterâ detineatur! undè & nova *Febris* accenditur; & *Aphtha*, ùt & *Singultus*, enascuntur, fatales *Lethi* instantis *Prænuncij*.

Sin autem eò res angustiæ redierit, ut *Æger*, propter summum *languorem*, Medendi Methodum supra laudatam haud sit ferendo; non est tamèn quòd animum despondeat, vèl spem recuperandæ salutis abjiciat; modò tantillum habeat virium, quantum sufficerit sivè ad Masticandum *Rhabarbarum*, seù potiùs ad Equinum, Suillumvè Fimum, Vehiculo quovis grato solutum, deglutiendum. Cujus Ego *Remedij* vires (utcumque vile triviumque sit) in curandis Dysentericis, etiàm conclamatis, multotiès exploratas habui. Quod tamèn effectum dat, neque vi styptica, vasa sanguifera Corrugando; neque narcoticâ, Cruoris, Spirituumque motum sistendo; sed planè, *Salis* sui *volatilis* ope, (quo abundè scatet) *Coagulationes Sanguinis* solvendo, Ejusque adeò *Massam* in pristinum sanumque *statum* restituendo. Quod quidèm exindè satis constat, quòd *Pleuriticis*, *Rheumaticisque* perindè ac *Dysentericis*, insigniter prodesse soleat.

Hùc etiàm spectat (quoniàm eâdem est indole) *Remedium* illud *planè* aureum a Clariss.: viro *Jo. Ray*o (in *Synopsi* suâ) memoratum, neque hìc loci a me, propter egregiam quam, non ità pridèm, *Exercitui Anglicano*, in Hibernâ gravissimâ *Dysenteriâ* laboranti, tulit opem, sine Piaculo reticendum: Fungosa sc. Substantia, Nuclei Juglandis

Juglandis Lobos intercedens, & separans, exiccata & pulverizata, vinoque, modicâ quantitate, exhibita.

Nè cui autèm persuasum sit, Particulis nescio quibus astringentibus ab hoc Remedio tàm admiranda præstari; a Clariss. Authore statim subjungitur, Pleuritidem ab eo, non minus quàm Dysenteriam tolli; argumento satis luculento, non stypticâ illud, sed sanguinis Coagulationes solvendi vi, pollere.

Jam verò ad *Dysenteriæ Symptomatum* Curationem quod attinet, (nam pauca etiàm de Hâc re dicenda sunt) nòn est quòd *Ei* diutiùs immoremur; cùm ipso Morbo fugato, *Ea* omnia sese quoque unà, ut plurimùm, in fugam Conjiciant.

Agnosco tamèn lubentèr unum vèl alterum esse *Symptoma*, quod *Opem Medicam* ultrò invocat, & quasi passis manibus implorat; *Tormina* sc. atque *Intestinorum Ulcera*. Quæ quidèm *Tormina* hunc Morbum a *Carceribus* usque ad *Metam* comitari solent, adeoque sunt immania, uti omnem humanam *Patientiam* vincerent, nisi *Anodynis*, Cautè & prudentèr exhibitis, *Rabies* Eorum demulceatur. Cùm autèm id idem quod *Dolorem* Levat, *Hæmorrhagiam* quoque sistat; magnoperè cavendum est, nè, dùm *Uni Medemur*, eâdem operâ aliud accersamus *Malum*.

Intestinorum Ulcera statìm a profligato *Morbo* plerumque evanescunt. Sìn verò diutiùs perseveraverint, *Medicamentis Balsamicis* temperatis, sivè *Ore* sumptis, sivè in *Sedem* injectis, facilè, & quidèm brevi tolluntur.

Atque hoc pacto quale quale *Hoc* meum De *Dysenteriâ Hibernicâ Tentamen* ad *Umbilicum* perduxi; eique jam nunc statìm *Colophonem* imponerem, nisi id ratus essem, Me *Vobis* rem haùd ingratam facturum, si, *Coronidis* loco, pauca quoque de *Dysenteriâ Epidemicâ* (ùt ùt ea sit aliquantùm *Extra Oleas*) subjunxerim.

Quæ quidèm *Dysenteria*, licet, quoad aliquammulta *Symptomata*, cum eâ *Vulgari* sivè *Sporadicâ*, de quâ Nos jam suprà tàm prolixè verba fecimus, plurimùm conveniat; tamèn, & quoad Eorundem *Symptomatum Atrocitatem*, & quoad *Morbi* ipsius *Contagium* atque *Exitum*, ùt & *Medendi Methodum*, toto ab eâ, quod aiunt, Cœlo discrepat.

Quod *Vobis* eò luculentiùs constabit, si modò *utramque Speciem* hinc indè comparavero, & quasi *trutinâ* quâdam coram Vobis suspendero.

Nè autèm *Cramben* hìc recoquam, ea repetendo Symptomata quæ sunt *Utrique Communia* (utiquè de quibus suprà sat fusè jam actum est.) *Primo in loco* observatu dignum est, quod cùm *Vulgaris* illa *Dysenteria unum* fortè fortuna *Singularem Hominem* hìc illìc adoriri soleat, neque ultrà progrediatur: *Epidemica* longè lateqùe grassatur, neque modo privatas *Ædes*, & *Pagos*, & *Vicos*, atque *Urbes*, sèd & amplissimas, quaquà latissimè patent, Regiones, ipsâ nòn minus *Peste*, depopulatur.

2do,

2°. Cùm *Hic Morbus*, in quamcunque *Classem* eam redegeris, nunquam non *Febrem* sibi *Comitem* adsciscat; Ea quidem *Febris* quæ *Vulgaris illam* consequitur, semper lenta, Mitisque est; neque ullis malis *Symptomatis* stipatur: Ea vero quæ *Epidemicam* comitatur, non modo *illâ alterâ* longe est intentior ac præcipitantior; sèd & teterrima secum adfert & *Cerebri*, & *Nervorum*, & *Ventriculi* Symptomata; *Phrenesin* sc. *Convulsiones*, & (quo nihil magis *horrendum* est) *Singultum*; quò cum semèl perventum fuerit, vix *Salus* ipsa Ægrum servare potest.

3°. Cùm *Dysenteria Vulgaris* lento pede incedat, nèc nisi longo temporis spatio *Metam* attingat, ac tum demùm in *Salutem* plerumque desinat; *Epidemica*, & longè velocius *Cursum* suum peragit, & rarò alitèr atque in *Mortem* terminatur.

4°. Quod ad Utriusque *Dysenteriæ medendæ Methodum* attinet; usque eo *illis*, quoad *istam rem*, non convenit; ùt nil minùs quam ipsi *Antipodes* ab invicem distare, adeoque neque idem commune *Nomen* meruisse, videantur. Quippè, & *Phlebotomia*, & *Catharsis*, a quibus Vulgaris Dysenteriæ medendæ rationem maximè pendere diximus; in Epidemicâ Curandâ usque adeo nòn *prosunt*, ùt vèl plurimùm *noceant*, certoque penè sint *Exitio*. Quisquis *Epidemicæ Mederi* vult, necesse habet ut *Alexipharmacis* atque *Diaphoreticis* omninò incumbat, quibus solis tota *ejus Medela* absolvitur.

Atque *id Mihi* (quod liceat pace vestrâ hìc commemorare) abundè satis compertum est, cùm non ità pridèm *Dysenteriæ Epidemicæ* curandæ operam navarem, *quæ Oras* omnes *Maritimas* complurium *Walliæ Australis Regionum*, *amplius Triennium*, pervagata est; ijsque in *Locis* adeo immanitèr desævijt, tantasque *Strages* edidit; ùt in *Ædibus* nòn paucis vix Unus aut alter supereresset, qui *Sepulturæ* traderet *Defunctos*.

Cùm variæ *Medendi Rationes* & a *Me*, & ab *Alijs*, ad tàm immanem *Hostem* debellandum, e què *Finibus Nostris* amoliendum diù *excogitatæ* frustraquè *tentatæ* fuerint; Tandèm aliquandò *Alexipharmaca*, atque *Diaphoretica* (quibus *Solis* (uti jam dictum est) Succumbit tàm effrænata *Pestis*) egregiam ab *Eo Victoriam* reportârunt: Siquidem in *Medicâ*, secùs atque in *Re Militari*, Qui è *Morbi Manibus aufugit*, atque Evasit, ipsum planè *Morbum vicit*, ac *Superavit*.

FINIS.